



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 110. Titulus XLIII. De Hospitalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

dam monitionem non respuerit, fructibus, ac pensionibus, & administratione quavis ecclesiastica, necnon etiam titulis suorum beneficiorum in perpetuum priuetur, & ad alia quaecunque obtinenda, perpetuo inhabilis reddatur, & a capitulis, ac omni congregatione ecclesiastica tanquam infamis arceatur: donec ita mores suos emendaverit, ut a Superioribus venia dignus censeatur.

Canon II. Clerici beneficia non habentes, hujus sceleris suspecti, & in ea post unam, atque alteram monitionem perseverantes, suspendantur ab ordine: & qui post suspensionem non cessarint, excommunicentur: si contumaces fuerint, in carcerem detrudantur.

Canon III. Qui cum semel dimissis concubinis consortium repetierint, iisdem poenis subjaceant.

Canon IV. Nulli Sacerdoti, cujuscunque gradus, societatis, aut ordinis existat, concubinario liceat absolutionem dare, sed ad Episcopum, aut ejus poenitentiarium eum remittat, qui pro gravitate delicti poenitentiam injungat, vel moderatione utatur, pro ut expedire viderit.

§. CX.

Titulus XLIII. De Hospitalibus.

Quatuor Canonibus titulus quadragessimus tertius de Hospitalibus absoluitur, statuitque eorum primus, ut quicum

Sæcul. XV.

A. C. 1584.

Sæcul. XVI. quicumque pia loca, quæ hospitalia vulgo
A.C. 1583. dicuntur, cujuscunque generis sint, seu ti-
 tuli, seu administrationis jure possident, eo-
 rum onera omni studio & diligentia exe-
 quantur, nec pauperes defraudent, aut de-
 fraudari sinant, qui neglexerint, ab Epi-
 scopo pœnis a jure constitutis coerceantur.

Canon II. Laici hospitalium admini-
 strationi præpositi, munus hospitalitatis
 non recte obeuntes, ab Episcopis per cen-
 suras Ecclesiasticas cogantur: quas si con-
 tempserint, ab administratione submovean-
 tur, & rationem reddere, ac fructus injuste
 perceptos restituere cogantur.

Canon III. Provideant hospitalium ad-
 ministratores, nequid eorum, quæ adhiberi
 solent ad remedium animæ, quod præcipuum
 est, suis hospitibus desit, quod si quem eorum
 absque Sacramentorum perceptione deces-
 sisse contigerit, alii in eorum locum substi-
 tuantur.

Canon IV. Hospitalia his solis pateant,
 qui præ ægritudine, Senio, aut corporis
 imbecillitate victum sibi parare non possunt,
 excludantur vero a Xenodochiis mendici va-
 lidi, ac robusti, qui manuum labore seipso
 sustentare possunt, ne miserabilium perso-
 narum alimenta ab ignavis, ac desidiosis im-
 pie absumentur.